

Domini 1636. Regia autoritate confirmatus; et alii quoque Articuli Regni Ungariae superinde conditi observentur.

§. 1. Contumaces vero, armata manu justae Decimationi resistentes; Brachio quoque Banali, ad justas Decimas pendendas et solvendas, compelli possint ac debeant.

De Appellationibus ex Campo Zagrabienſi-Turopolienſi transmissis; revidendis et approbandis.

Articulus 106.

Conclusum etiam ac declaratum est; ut Appellationes ex campo Zagrabienſi-Turopolienſi, transmissas, ad Jurisdictionem Comitatus de Jure, vel consuetudine pertinentes, etiam Dotalisticas maturius revidendi, approbandique, vel emendandi ac tandem ad Executionem remittendi autoritas, Sedis Judiciariae Comitatus Zagrabienſis; in suo vigore salva permaneat: Suadente Articulo 23. Anni 1613. §. Parti vero succumbenti, etc. et Art. 67. Anni 1622. et Art. 65. Anni 1635. *)

De compescendis, Rebellibus Subditis Regni Sclavoniae; Articulus 76. Anni 1655. cum infrascripta declaratione renovatur.

Articulus 107.

Quia Rebellium Subditorum insolentia necdum totaliter in Regno Sclavoniae sopita, sed potius in futurum etiam verenda, coercendaque esset; renovandum proinde censent Status et Ordines Articulum 76. Anni 1655. cum ea declaratione; ut Rebelliones hujusmodi Colonorum, Subditorum et Libertinorum, per denominatos ibidem Justitiarios ac Generales, simul, vel divisim ac per Dominos quoque Terrestres, si ad id sufficientes forent (praevio tamen cum Juratis Regni et Comitatum Judicibus, sufficienti Judicio et convictione) coerceri et sopiri possint.

Ordo complanandarum differentiarum metalium Regnorum Croatiae et Sclavoniae, proponitur.

Articulus 108.

Cum ratione metarum, diversae in Regnis Croatiae et Sclavoniae suboriantur disconvenientiae: Ad evitanda et praecavenda hujusmodi malorum genera decernitur; ut in illis Regnis, juxta Articulum eorundem Regnorum super reaedificandis metis conditum ac Regia autoritate confirmatum, tales differentiae complanari possint:

*) Confirmatur; An. 1741. a. 60.